

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0751

0749

0755

0745

0760

0740

0800

0700

0850

0650

0250

Ende

Anfang

178

cui insidebam, cursum incepit et praeccurrere conabatur caeteros, quam cum freno retinere vellem, abjecit me, et casum valde gravem accepi. Quod videns Ameth, duxtor noster, de equo suo desiliit, et me jacentem levavit, membra mea delinivit et traxit ad reaptandum juncturis et unum de servis suis in vallem currere jussit, ut mulam meam, quae lasciviens decurrebat, reduceret, et tantam pietatem Maurus iste gentilis ethnicus exhibuit mihi in mea anxietate, quantam Christianus misericordissimus facere potuisset. Me reintegrato potenter in mulam sublevavit, quia brachiis me juvare non poteram, nullum tamen membrum fuit mihi confractum, de quo Ameth mirabatur et laetabatur, quia in cursu mulae impetuose in scopulos cecidi. Oro autem Deum, ut misereatur illi Saraceno gentili, sicut et ipse misertus est mei. Ameth ergo et ego post socios meos festinavimus, qui longe antecesserant, et similiter per vallem Gehennae ascendimus, et dum adhuc in profundo vallis essemus, tandem de profundo suspicentes civitatem sanctam Jerusalem in altissimis situatam resfulgentem vidimus, in cuius aspectu contigit nobis, sicut patet fol. 215.
B. Ingressi autem civitatem sanctam enarravimus fratribus nostris, qui remanserant, quae vidimus et quae nobis in via acciderunt.

Sollicitudo peregrinorum pro recessu ad montem Synai.

Tertia decima die, quae est Hypolithi et sociorum ejus, mane audita Missa in monte Syon abierunt domini peregrini ad semetipsos, et super nostro recessu, quem optimus, consolati sumus. Videbatur enim nobis Calinus major, Trutschelmannus noster, recessum nostrum de Jerusalem impedire, et longior tardatio nobis nimis praejudicialis futura esset, non quidem ideo, quod taedium esset nobis manere in civitate sancta, in qua libentissime et jocundissime morati sumus, sed timuimus, quod negligeremus naves alexandrinas onerarias, in quibus in Italiam navigare decreveramus (B), et in Alexandria hiemare cogeremur, quod nobis fuisse plurimum poenale. Simul ergo transivimus ad domum domini Naydon, praefecti Jerusalem, cum quo et dominum Vaccardinum

